



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Vallisoletani n. 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

è tripode pronunciarunt pœnis haud modicis in refractarios, & contumaces blaterones indictis protinus infligendis. Dat. 7. Mar. ann. 1625.

3. A ROMANIS: Quorum Consilio expendenda dederat Societas Priuilegia, de quibus in Gallia minuendis agebatur. At Sacri Quæitores causa Priuilegiorum accuratè considerata, tandem in hanc sententiam conuenerunt. Priuilegia Patribus Societatis in Vineæ Domini operantibus, à summis Pontificibus recte concessa, & prudenter, vtiliterque ab ipsis exercita, nec reuocanda, nec minuenda, nec vlla præfinitione loci ac temporis videri, nunc quidem limitanda. Ita Par. 5. Histor. Societ. Tom. 1. lib. 6. num. 68.

Eius Priuilegia ex pensâ, & integra seruanda decernitur.

4. A VALLISOLETANIS: Cum speciatim vexaretur Societas tanquam Confessiones retegeret, adeo feda maxime per Hispaniam hæc fama percrebuit, ut Borgia profiteretur, haud seueriores alias in Societatem procillas extitisse. Ille quidem tam diuersis pulsatus sermonibus, Vallisoleti Quæitores conuenit, rogauitque, edicerent ipsi Orthodoxæ doctrinæ Custodes quid tenendum in eo genere videretur. Quippe Societatem neque huic, neque diuersæ affixam sententiæ, id modo cupere recta ire via; proque tenuitate sua fideliter, ac sapienter Deo Domino, salutique hominum deseruire. Cui responsum est: Qua ratione in Confessionibus audiendis Societas vteretur, eam sancti Officij Collegio vehementer placere; sollicitudinem omitterent, suoque ritu cœptis instarent, ipsos aduersis rumoribus occursuros. Ita Par. 2. Histor. Societ. lib. 2. num. 132.

Contra calumniatores propugnata Societas.

5. A CESARAVGVSTANO: Qui aduersus Decretum illud Sorbonicum in Societatis, & Apostolicæ Sedis contemptum euulgatum pro potestate edixit, ut quisquis ea super re scripta haberet, ad sanctum Tribunal afferret: grauiusque de eo negotio obloquentes, tanquam de Pontificia, ac legitima Religiosi Ordinis approbatione male sentientes Sacro Magistratu indicarent. Ita Par. . . Hist. Soc. lib. 16. num. 46. Sic Societatis famam Inquisitoris amor restaurauit.

Et contra Sorbonicum decretum.